Oratio Reginæ Elisabethæ ad Legatum
Regis Poloniæ 25 Julij Ao 1597.

O quam decepta fui; expectavi legationem, tu vero
querelam mihi attulisti, per literas accepi te Legatum,
inveni vero Heraldum. Nunquam in vita mea audivi talem
orationem: Miror sane miror, tantam et tam
insolitam in publico audaciam. Neque possem credere
si Rex tuus adesset, quod ipse talia verba protu-
lisset, Sin vero tale aliquid tibi fortasse in man-
datis commisit (quod quidem valde dubito) eo tri-
buendum, quod cum Rex tuus valde sit Juvenis, et
non tam iure sanguinis, quam Jure electionis, ac no-
viter electus non tam perfecte intelligat rationem
tractandi illius modi cum alijs principibus, quam
vel maiores illius nobiscum observarunt, vel for-
tasse observabunt alij, qui locum eius posthac tene-
bunt, Quod ad te attinet, tu mihi videris

multos libros perlegisse, libros tamen principum
ne attigisse, sed prorsus ignorare, quid inter princi-
pes conveniat. Nam quod Juris Naturae
et gentium tantopere mentionem facis, Hoc scito
esse Jus naturae gentiumque: ut cum bellum inter
Reges intercedat, liceat alteri alterius bellica subsi-
dia undecunque allata intercipere, et ne in damnum
suum convertantur praecavere. Hoc inquam est
Jus Naturae et gentium. Quod novam affini-
tatem cum domo Austriaca commemoras (quam
tanti iam fieri velis) Non te fugiat ex eadem
domo non defuisse qui Regi tuo Poloniae Regnum
praeripere voluissent. De caeteris quae non
sunt huius loci et temporis cum plura sint et sin-
gulatim consideranda illud expectabis quod a
quibusdam consiliarijs meis huic rei designandis
intelliges. Interea vero Valeas et quiescas.